DISPVTATIO
PHILOSOPHICA, ET THEOLOGICA

Habita Coràm

EMMANVELE II. PALÆOLOGO IMPERATORE,

A quo & litteris grecè mandata fuit, cùm diſputantium, tùm etiam ſua de illo dicto [melius eſſet ei, ſi natus non fuiſſet] doctè, breuiter, & eleganter explicata ſententia.

Philoſophis, ac Theologis æquè perutilis, ac iucunda Tractatio.

GEORGIO TROMBA ANCONITANO
Interprete.



FLORENTIÆ, M. DC. XVIII.
Apud Petrum Cecconcellum.

Superiorum permiſſu.

CAROLO MEDICI S·R·E· CARDINALI AMPLISSIMO

GEORGIVS TROMBA PERPETVAM EXOPTAT FÆL.

QVÆ propria iàm olim inclytæ tuæ Mediceæ domus laus fuit, CAROLE Princeps, Cardinalis Amplissime, optimarum litterarum studia ad præcipuum christianæ Reip. commodum fouendi semper ac promouendi, ea nùnc etiam si vnquàm maximè perseuerat, & in dies adeò magis magisq; fit ad eam accessio, vt ipsa seipsa clarior, maiorq; fieri videatur. Nàm (vt instar multorum vno tantùm, nec longiùs quidem abiens vtar exemplo) parens tuus Magnus Hetruriæ Dux Ferdinandus, qui vnus tanquàm ex Annalium memoria nostris temporibus è cælo delapsus videbatur, ita illarum susceperat, dùm inter ho-

mines ageret patrocinium, vt regijs planè ſumptibus eas non ſubleuaret modò, & quò ad eius fieri poſſet in priſtinæ collocaret dignitatis ſplendore; verùm & illas colentium conſuetudine etiam ipſe frequentiùs vteretur, ac tanta ſæpè cùm voluptate dùm diſcumberet, aùt aliàs grauiſſimis eos de rebus differentes audiret, vt eum hoc magis, quàm quæuis cùm arte menſa, quod verbo dicitur, regali inſtructa luxu delectaret. Tu verò, Cardinalis Ampliſſime, à tàm illuſtri, omniq; commendatione, atq; iſta purpura, iſto primo tuæ vernantis iuuentæ flore digniſſimo inſtituto, tibi ne tantillum quidem diſcedendum putas. Quin Orbe applaudente vniuerſo fæliciter ſequeris quò glorioſiſſimus parens, cæteriq; illi tui tales, ac tanti præceſſere maiores, & quidem veſtigijs item impreſſis generoſioribus. Prorsùs vt hac tempeſtate mutatæ ferè contingat adagionis vſus, qua in litterarum ſubleuandis, prouehendiſq; cultoribus, non iàm atauis Hetruriæ Regibus ſtatim intelligatur editus olim ille Mœcenas; sèd quæ nùnc Hetruriæ fælicibus imperat auſpicijs, tot ſummis Regibus affinis, & ipſa regia planè Medicea domus. Quid igitur mirum, ſi & hoc tempore quicquid præclari, quicquid elaborati in omni genere ſcientiarum, viuida & antiquis ferè quàm ſimillima cudunt ingenia, id omne tanquàm muſarum præſidibus, vobis

bis

bis potissimùm Medicibus offerri Principibus, vobis dicari, vestri tandem auspicio nominis in publicum prodire videmus? Ea propter, nimirùm, nullam quamuis in me aùt doctrinam agnoscam, aùt eruditionem, innumeras tamen ob causas cùm singulari iàm indè sim erga Amplitudinem tuam, Princeps Illustrissime, studio certè ac obseruantia, hanc Augusto in consessu aliquando habitam, & nùnc primùm à me vtcunq; conuersam, æquè sanè grauem, ac iucundam Disputationem tibi dimore nuncupandum censui. Cui enim potiùs, quàm ei, cuius est & plùs quàm iusta illa quidem vtriusq; linguæ peritia, &, vt ferè quotidiè re ipsa comperitur, in rebus etiam abstrusioribus perscrutandis, aùt dijudicandis acre sanè iudicium? Accedit eò, quòd tua & Imperatoriæ Disputationis, & huius ipsius quoq; Versionis (quæ tua est humanitas) commendatione, stimulos additos non inficior ad maturandam citiùs, quàm statutum fuerat, editionem. Obfirmaram enim animum, id ipsum non seorsùm perficere, sèd cùm eo simul eiusdem Emmanuelis Cæsaris opere, quod vt multò altiùs excrescit, sic & præclarius, cedroq; fortè dignius existimandum. Reliquum igitur est, Cardinalis Amplissime, vt id qualecunq; sit muneris hilari fronte suscipias, ac bonis litteris, earumq; studiosis vtroq; pollice, (quod iàm egregiè te facere

testatus

teſtatus ſum) atq; adeò fauere toto pectore pergas. Quin immò eorundem præſtantiſsimorum tuorum exemplo maiorum, ne dùm huius, cuius tibi nùnc dicatur Tractatio, Imperatoris, omnium optimè te illud intelligere etiam oſtendas, non purpuras, nec ſceptra, aùt deuictas iacenteſq; ſub pedibus prouincias, sèd vna tantùm imbuta litteris ac pietate ingenia, ipſa vetuſtate floreſcere. Quæ niſi loquantur, ipſas etiam omnes omnium Regum, ac Principum purpuras idem fortè, qui corpus, lapis & vrna obruat neceſſe eſt. Vale, ac Deus Opt. Max. producto tibi æuo ad Neſtoris annos, interim tua etiam vota ad optatos ſemper exitus perducat. Dat. Flor. Kal. Decembris M. DC. XVIII.

GEORGII TROMBAE
DE DISSERENTIBVS,
& ſumma Diſſertationis

PRAEFATIO.

FLOREBAT in Aula Conſtantinopolitana ex more ſummoperè laudando cùm aliàs, tùm extremis hiſce ruentis illius Imperij temporibus magna copia varijs ex Orbis partibus illuc accerſitorũ doctorum virorum. Inter quos fuit etiam quidam eò ex Italia profectus Antonius Aſculanus, doctus ſanè vir, sèd, vt hac in Diſputatione videtur, non in theologorum perindè, ac philoſophorum ſtudijs verſatus. Annumerabatur eidem Aulæ, quippè regia in Vrbe patritij ordinis, Demetrius itidem Chryſolora, inſignis quidem & ipſe doctrina vir, atquè, vt docet ipſa tẽporum ratio, Chryſoloræ illi coæuus, de quo Paulus Iouius in illuſtrium virorum Elogijs non ſemel perhonorificam feciſſe videtur mentionẽ. Quippè qui de litteris benemeritus eſſet, & Cæſareæ munere legationis ad occidentales aliquando Principes functus pro dignitate fuiſſet. Sèd an hunc etiam hìc diſputantem Demetrium vt cognomine, ſic & aliqua arctioris propinquitatis attingeret ille neceſſitudine, nec ne; equidem omni procul affirmare dubio non auderem. *De Ant. Aſcul. & Dem. Chryſol.*

Contigit ergo aliquando, Emmanuele ſecundo Palæologo imperante, ſeù Academico aliquo in conſeſſu, ſeù eodem ipſo, vt fit, diſcumbente Imperatore, vt duo quædam Chryſoloræ ab Antonio proponerentur. Quorum alterum erat illud ex ſacris litteris de Iuda dictum à Domino: melius eſſet ei, ſi natus non fuiſſet. Alterum verò receptum iàm, & ſermone tritum philoſophicum Axioma: melius eſt eſſe, quàm *Summa diſſertationis.*

non esse. Quæsiuitq; alter ab altero, ista quo nàm pactò cohærerent, cùm sibi quodammodo pugnántia viderentur? Demetrius allatis quibusdam earum, quæ sunt in natura, rerum distinctionibus, omni se prorsùs explicuisse difficultate videbatur. At feruentiùs, & philosophicè nimis, vt sibi videbatur, occurrens Antonius, petitis aliquot ex Dialectica tùm exemplis, tùm distinctionibus, de Chrysoloræ ad duo illa responso, tànquàm satis superq; à se tàndem eluso, atquè reiecto triumphabat. In eo tamen non modicè laudandus, quòd interim veram germanamq; Quæstionis à se propositæ solutionem se ignorare, palàm, & ingenuè profiteretur. Multis dein vltrò citroq;, vt moris est, quà propositis, quà etiam solutis argumentis, tandem longiùs protracta est Disputatio, quàm vt tùnc Imperatori licuerit (quæ eius erat etiam in litteris eruditio singularis) de ea quicquam in medium afferre. Cuius in primis audiendæ sententiæ ardentiori profectò teneri desiderio videbatur, qua septus erat ipse, magna principum virorum corona. Quod aduersùs humanam (vt ita dicam) sapientes, id est, non exactam illam, veramquè, atq; præclaram, sèd ex triuio, aùt saltē inflantē duntaxàt philosophiam, triduò post & quidem egregiè præstitit, cùm primùm iterùm considendi otium fuit. Quando illud potissimùm (vt hoc ex Opusculo liquet) etiam longè maiorem astrueret difficultatem, si in sacra græcè scripta nimirùm pagina, vna vèl tantùm litterula ν in ἐγεννήθη verbo geminata, (sicùt recepti omnes ac approbati codices habent) aut fortè secùs etiam fuisset. Tùnc enim satis diuersum quid constabat, non idem omnino significari.

De Emmanuele Secundo Imp.

Sèd, vt obiter de ipso nùnc etiam Imperatore multa in pauca contrahamus, Laonicus Chalcondyla, Egnatius Venetus in suo Cæsarum libello, Genebrardus, Franciscus Sansouinus, alijq; complures sæculi superioris, & huius etiam nùm labentis celebriores Historici, res ab eo præclarè ac fortiter gestas litteris consignarunt. Quamuis in eam rem alij parciùs, & vt ex diuerticulo; alij verò prolixiùs, & hoc agentes

incu-

incubuerint. Successit enim Ioanni patri in Imperio, cui ex singulari seù probitate, seù humanitate Boni inueteratum cognomen populari adhæserat acclamatione. Quadraginta autem plùs minùs imperauit annis, principatus diuturnitatem in homine prudentia maximè præstante difficillimis temporibus postulantibus, votisq; poscentium populorum annuente numine. Turcas iàm tum vèl ipsis etiam interioribus, in quas iàm inde penetrarant, Europæ regionibus maximè infestos, ac formidabiles, frequentibus ipse bellis è finibus repulit. Præsertim verò Isthmo eos Corinthiaco, excitato longissimi ac præalti ædificio muri, interclusit, atq; prohibuit. Opere sanè, vt tradunt, ad miraculi vsq; stuporem extollendo, siuè breuissimum temporis, intrà quod opus absoluisse dicitur, spatium; siuè ipsius etiam operis magnitudinem spectes. Ad illius namq; latitudinem Isthmi sex millium curriculo protendebatur. Extantq; etiam nùm, quod à quibusdam, qui regionem lustrarunt, audiui cùm dicerent, & Thomas Porcachius refert, memorabilis operis magna iàm ex parte diruti excelsa vestigia. Carolum sextum Galliarum Regem affinitate iàm inde sibi iunctum præsens adiuit, suppetias aduersùs Turcarum ferociam procliuiori sic negotio impetraturus. Verùm dissidentibus tùnc inter se grauibus de causis Regni proceribus, qui vt in gratiam inuicem redirent, dùm illic moraretur Emmanuel etiam pro virili curauit, spe frustratus re infecta reuertitur. Accessit autem illud etiam incommodi, quòd Carolum Regem insaniæ morbo laborantem offendit, vt nunquàm bonam postea mentem reuocauerit, & se ad sanitatem retulerit. Hic ille est Carolus, qui Galliæ Regum insignia tot priùs, quot caperent, lilijs aspersa, tribus tantùm, nec pluribus in posterum decorari voluit. Contendenti igitur in Galliam transalpinam Emmanueli passim cisalpini obuiam iere Dynastæ, in suam quisque, per quam fortè transisset, ditionem eum perhonorificè excepturi. Proindè & Becaria æquè potens aliquando Ticini, ac nobilis apprimè familia non immeritò gloriatur, munifico quondam sumptu,

ac planè regio (quod Sanſouinus commemorat) hoſpitio hunc à ſe exceptum Imperatorem, dùm illac iter haberet, atq; cùm Lācilotto Fratre Caſtellinus illius eſſet familiæ princeps, efficeretq; ſub idem tempus, eius vt auſpicijs Philippus Maria Vicecomes, Mediolanenſis ſuſciperet principatus inſignia, & vindicata coniuratorum perfidia paterno potiretur imperio. Repenſam autem tùnc ab Imperatore munificentiæ vicem, quæ adhùc extant, vt aiunt, apud Becariam gentem honorum plena ac dignitatis, non obſcurè teſtari videntur diplomata. Iàm verò Montis Ferrati Marchio, (cuius tùm ditio, quàm nùnc multò longiùs latiuſq; patebat) vt eiuſdem Palæologæ ab origine gentis, filiam inſuper Ioanni Emmanuelis filio natu maximo, atq; Imperij Principi deſpondiſſe, nuptuiq; tradidiſſe dicitur. Verùm inauſpicatò puellæ ea nuptialis contigit deliberatio. Non enim vt ad virtutis, & morum elegantiam vndiq; exculta, ſic & venuſta adæquè erat, præſtantiq; forma

Lib. 22. conſpicua. Quia non omnia, è celebri poeta inquit Liuius, eidem dij dederunt. Nec aliquid in ſimplici genere, romanæ

1. de Inuen. ſcribit eloquentiæ parens, omni ex parte perfectum atq; beatum expoliuit natura. Aùt, ſi maius, ex eodem optimo illo, ex quo ſupra & Liuius, celebri Vate, illud latina vertente muſa

Odyſſ. 8. cecineris, quod ad rem faciat: *Eſt etenim informis ſpecies cui contigit, atqui Lingua dote Deus penſat diſpendia formæ.*

Quamobrem Byzantium perducta, vbi ſponſi propterea beneuolentiam parùm ſibi ex animi ſentētia cedere animaduertit, conſcenſis iterùm triremibus in patriam reuerſa eſt. Fęlix tamen ſeptem prole filiorum, Egnatio referente, fuit Emmanuel. Sèd à Chalcondyla non niſi ſex recenſentur, vt reliqui tandem ætatis ordine fuerint Andronicus, Theodorus, tùm Conſtantinus. Qui ex indefeſſo Turcas bello perſequendi labore, Draconis cognomentum, ac ſi foret inexorabilis, et illius ferociſſimæ ad inſtar belluæ ferretur in eos nactus eſt, & ab Ioanne vltimus chriſtianorum orientalium Cęſarum imperauit. Sequitur indè Demetrius, & Thomas poſtremò. Cui multam profectò debeatur, quòd cùm Turcarū & ipſe hoſtilibus

armis

armis auito Peloponnesi Regno pelleretur,atq; Vrbe ipsa Patrensi cederet, prætiosum Diui Andreæ Apostoli caput regia cùm gaza secùm attulit, deposuitq; apud augustissimam Diui Petri, principis Apostolorum,& Andreę germani Basilicam, Pio secundo Picolomineo, exaggeratæ virtutis & sanctitatis Summo Pontifice, ipso palmarum dominico die sacram Romę pompam ducente,omnium quotquot vnquàm fuere post hominum memoriam celeberrimam. At quamuis non vberiori stylo narranda, sèd acu tantùm,quod dicitur, non nulla hìc (cæteris, ijsq; præclaris admodùm prætermissis) de Emmanuele Cæsare obiter indicanda susceperim; illud non omnino tamen prætereundum putaui, quòd si quis vnquàm Augustorum vehementi exarsit desiderio,è medio,si quæ essent, non nullorum ineptorum hominum scandala auferendi, vt essent vtraq; vnum, & orientalis, vt par erat, Romanæ cæterarum omnium vt dignitate,sic & authoritate principi reconciliaretur Ecclesiæ,is demùm fuit Emmanuel. Martinus enim V.Pont.Opt. Max. è clarissima Columniensium Herouȃ familia, misso à latere Cardinali Legato,ad hoc ipsum sua sponte currentem inuitauerat. Qui vicissim ad eundem Summum Pontificem, dùm adhùc in Isthmo, secundo martis ferè semper euentu fortiter bella gereret,pluribus missis,honorificentissimisq; legationibus, nihil ea sibi re vnquàm futurum antiquius significabat. Proindè in ijs,quæ ad sacra,& religionem spectarent,imperaret ipse. Id enim præcipuè summorum esse Pontificum. Se verò,ac reliquos omnes sæculi principes verbo audientes esse,atq; eorum vt pastorũ, ac patrum sacra iussa capessere,vèl libentissimis,atq; obsequentissimis animis oportere.Quæ sanè ab vtroq; Principe tùm sacro,tùm profano piè inita, ac prudenter agitata consilia, vna mors præpropera nimis interrupit, ac distulit;vt omni autem ex parte ea euanescerent,efficere certè improba non potuit. Factum est enim, vt qui statim ad vniuersæ Ecclesiæ gubernacula sedit Eugenius IV. Venetus, rem ipsam ingentibus animis aggrederetur, quòd & in rem christianæ totius reip. maximè foret, illis

præ-

præſertim temporibus, cùm, ipſo ex Orco, vt ſolet interdùm, Aquilone furente, Petri coryphæi nauicula, nullis vnquàm obruenda vorticibus, maximarum erumpentium vndiq; procellarum fluctibus quateretur. Non tamen proindè fieri vnquàm potuit, vt optimus, idemq; infracto animo Pontifex, & quàm qui maximè diuini flagrans ardore zeli Eugenius priùs deſiſteret, quàm rem tantam cęlo terraq; præ lætitia exultante conficeret, ac deniq; præclari adeò ipſe voti compos fieret. Ad hoc enim Iulianus ille Cæſarinus, Sancti Angeli Cardinalis ampliſſimus, vir vt clariſſimi generis nobilitate, ſic & doctrina, & rerum ſolerter ac præclarè agendarum peritia celebris, è veſtigio Conſtantinopolim Legatus à latere miſſus fuerat. Quapropter Ioannes natu maximus, vt ſuprà retulimus, Emmanuelis Cæſaris filius, pijſſimi & ipſe parentis optatis reſpondit egregiè, cùm primùm ab eius obitu orientalis Cæſar fuit acclamatus Imperij. Nàm vèl ex ipſis teſtamenti tabulis Emmanuel, hoc ei potiſſimùm datum voluit in mandatis. Igitur Pſeudopontificis Amidei Allobrogum quondam Principis, nec non & illi fauentis Baſilienſis Concilij cùm ignominia ferè repulſa, ac ſpreta etiam triremium Claſſe, (quæ obuiam ei, in Italiam ad indictum Ferrariæ vniuerſale Concilium nauiganti, aùt honoris, aùt ſi, vt Blondus ait, fieri potuiſſet, vim etiam inferendi cauſa mittebatur) ab vno tantùm ipſe Ioannes ſtetit Eugenio, ritè in vniuerſæ Eccleſiæ Pontificem ſummum electo. Quamobrem Ferrariæ primùm, indè Florentiæ ſolemni imperiali pompa, ſacro etiam purpuratorum patrum comitante Senatu, ab Eugenio ſuſcipitur expectatiſſimus. Coſmo Medice Seniore, qui meritò pater patriæ decreto publico regalis ergò in omnes beneficentiæ dictus eſt, & Vexilliferatus ampliſſima dignitate tùnc primùm auctus fuerat, obuiam ei nobiliſſimæ illius cùm Senatoribus Vrbis euntę. Leonardo verò Aretino diſertiſſimo viro, aduentus gratulationem græcè Florentinæ nomine Reip. perorante. Nàm tanti erant facienda vèl ipſa eius rei primordia, vt Blondus, qui eo tempore vixit, & ſcripſit, eam vnam longè præferen-

rendam putet rebus alijs vniuersis, quę à tanto Pontifice multæ, ac nunquàm non præclarè gestę fuere. Immò & eundem ipsum summum Pontificem præter cæteras omnes, eam etiã rem vnam dignam duxisse, quæ Romæ in medijs ipsis ex ære affabrè cælato Basilicæ Diui Petri foribus, miro sanè artificio ad futuram eius memoriam sempiternam exprimeretur. In eo porrò celeberrimo (nè plùs paulò digrediamur) gentium omnium Florentino Concilio Ioannes Augustus, concordiæ Sess. 23.
Princeps studiosissimus, dùm seorsùm ad orientales patres in priuato consessu verba faceret, non dubitauit eo tantùm nomine laudibus parentem extollere, quòd omnibus cùm animi, tùm corporis viribus enixus fuisset, optatam illam tandem aliquando Ecclesiæ pacem reddere. Qui & nullum vèl sacræ, vèl profanæ doctrinæ genus esse affirmabat, quod idem eius parens Emmanuel non perlustrasset, atq; versatus etiam in eo præclarè non fuisset. Quid plura? Quod etiam nùm apud paucissimos extat attico, & eo quidem pereleganti scriptum eloquio Emmanuelis præclarum Opus, & ingenij ac pietatis monumentum egregium palàm testatã quàm primùm faciet (ipso secundo, cæptisq; fauente numine) prisca cùm pietate coniunctam tanti Principis eruditionem. Interim quæ ad calcem illi eidem Operi erat inserta hæc non iniucunda sanè Disputatio, eius etiam non nullum præbeat virtutis specimen. Quam dùm Pisis Cosmi secundi Serenissimi Magni Hetruriæ Ducis Aula, omnibus tùm insignis nobilitatis, tùm alterius cuiusuis præstantiæ ornamentis & quidem præcipuis longè clarissima, nec non vnà & terrarum magna spes Orbis Carolus Princeps, Cardinalis Medices dominus meus bacchanalibus ipsis diebus moraretur, & assidui per integros menses ingruerent imbres, vt ne pedem quidem è limine efferre quis posset, ipse vt tempus & otium fallerem, ad hunc qui statim sequitur modum interpretabar.

DISPVTATIO

HABITA CORAM

EMMANVELE II. PALÆOLOGO IMPERATORE,

In qua primùm Demetrius Chrysolora respondet Antonio cuidam Asculano dubitanti, cùm Ens sit melius non ente, quomodo de Iuda dixerit Dominus: melius esset ei, si natus non fuisset?

GEORGIO TROMBA ANCONITANO Interprete.

TIBI in dubium illud reuocanti, quo nàm pacto, cùm esse sit melius, quàm non esse, de Iuda Saluator pronunciarit, melius esset ei, si natus non fuisset? pauca quidem, sèd quæ ad nodi tamen solutionem, mea quidem sententia, satis superq; sint, asseremus. Supponenda est quædam entium, si libet, velùt coniugatio; alterum enim Ens est, quod ex optabilibus, bonisq; aliquid participat; al-

terum verò, quod propter ſuam tantùm exiſtentiam bonum eſt, entibuſq; adnumeratur. Rursùs alia quoq; ſupponenda eſt ex diametro priori contraria coniugatio, malum, ſcilicet, & quod nullatenùs eſt, aùt exiſtit. Dico igitur hoc conceſſo, analogiam quoq; in ijs coniugationibus neceſſariò reperiri, quæ quidem ea eſſe poteſt. Etenim cùm Ens, & bonum, vtrumq; ſit bonum; & vice verſa malum, ac nom ens contrario modo ſe habeant, ſit, vt quemadmodum magis bonum melius eſt eo, quod propter ſolum eſſe bonum eſt; ita etiam malum ſit peius eo, quod in rerum natura omnino non eſt. Quamobrem Iudæ melius vtiq; fuiſſet, ſi nec vnquàm ille quidem extitiſſet, quandoquidem lubens, ac volens euaſit improbus, ex illo nimirùm ſuperiùs iàm poſito, atq; probato, malum peius eſſe vèl ipſo non ente.

Hæc igitur rectè ſe habent, vt arbitror; nihilo peiùs tamen ſe ſe habebunt, ſi dilucidationis cauſa vèl alio modo huius rei rationem certè reddiderimus.

derimus. Nihil non bonum est, quatenùs Ens, seruatq; ipsô suo esse boni quandam speciem. Si igitur aliquid spoliatum ijs omnibus, quæ bona censentur, quia tantùm in rerum natura sit, bonum est; si illud ipsum superacquirat prætereà aliquod aliud bonum, aùt plurà etiam bona, profectò potiori iure ei conueniet ipsius boni nomenclatura. Tùnc enim duplici quodammodo, aùt multiplici etiam de causa bonum erit, tùm ob priorem existentiam, tùm ob consecutum etiam post incrementum. At si aliquid superacquisierit mali, tùnc vèl inhærens etiam illud ipsum sibi bonum imminuit, quòd ad deteriorem habitum se conuerterit. Iudas igitur cùm improbis semper moribus extitisset, proditionemq; sui insuper conditoris peregisset, luce clarius est, ad extremum ipsum peruenisse malorum. Cùmq; vero illi bono aduersaretur, factum est, vt seipso quodammodo, atq; adeò ipso etiam non ente peior euaserit. Quapropter his rectè pronunciatis,

etiam Iudæ melius fuiſſet, nec in lucem quidem ab initio editum fuiſſe, quàm, talis cùm eſſet, lucis vſura frui, ac ſupereſſe. Id quod erat probandum.

ANTONII ASCVLANI *eorum, quæ à Chryſolora dicta ſunt,* Confutatio.

OPORTERET fortaſsè pluribus à me commentum tuum, argutiora nobis excogitantis redargui, vt noſtræ tandem orationi ſatis ſuperq; illud euincendi facultas concederetur. Atq; id præſtare, nullum quidem eſſet negotium. Verùm cùm ſatietatem vbiq; vitare perlibeat, rem paucis, quo ad eius fieri poſſit, expediam. Ipſum non ens ſecundùm ſe haùd quidpiam eſt vir admirande, quemadmodum à nobis ex eo, quod hinc efficitur,

nec malum ipſum ſubſiſtere ſecundùm ſe, atq; ſubſtantia eſſe cenſebitur. Abſentiam namq; boni, malum; nec non abſentiam entis, non ens; ſicùt & tenebras lucis abſentiam nuncupamus. Sic mali, atq; adeò tenebræ, ipſi quoq; dæmones euaſerunt, vbi ea luce, eaq; cuius aliquando participes erant, bonitate, ſeù vis innocentia excidiſſent. Nihil enim ipſi alicundè adacquiſierunt; sèd vbi talia amiſiſſent, in deterrimum ea permutarunt, ſuo prorsùs loco eorum manente ſubſtantia. Quæ igitur nullatenùs exiſtunt ſecundùm ſe, ea non ſolùm contraria propriè non ſunt, (nam ſimplici tantùm nomine appellantur) sèd nequè inuicem conſona, nequè cognata prorsùs; vt quod minimè exiſtit, illud nequè melius vlla re quapiam ex omnibus, nequè peius fieri vnquàm poſſit. Quapropter nec minimè exiſtentium rerum coniugationem aſſerere licet. Hæc igitur, & alia huiuſmodi ſcitè, & peracutè quidem adinuenire, non tuam quidem prudentiam,

non

non eruditionem, non iſtud decet ætatis ad vitæ iàm properantis occaſum. Ad inſtar enim ſophiſtæ argutè potiùs comminiſcentis eſſe videtur, quàm eius, qui re vera ſoluere velit, ac demonſtrare. Idquè hac liquebit item ratione.

Bonum enim, & ens de ſe inuicem prædicantur; non ens autem de malo, & è contra, neutiquàm prædicabitur, niſi & ſignificatione, & dictione ſibi quis abutendum putet. Immò neq; colligetur quidem, aùt deſtruetur alterum ab altero. Vtrum enim horum ſe habet ad alterum, vèl vt genus ad ſpeciem, vèl vt ſpecies ad indiuiduum, vt de illis liceat iſtiuſmodi philoſophari? At certè non Ens nec exiſtit quidem ipſum omnino, nequè pars eſt rei cuiuſpiam ex omnibus. Nàm id quì fieri poſſit? Pari etiam ratione, malum nec eſt, nec rei pars alicuius exiſtit. Quamquàm enim malus hic, vèl ille dicitur; at non vt ſui partem habens malum, (quod minimè ſubſiſtit) vèl pars ipſe illius cùm

ſit,

ſit, ita dicitur; sed tanquàm non bonus, propter ipſius boni, nimirùm, priuationem. Nec non hæc affirmatio: Hic eſt malus; vim illa quidem habet negationis, vt ſi quis diceret: Hic non eſt bonus. Illud enim: Petrus ægrotat; quæ affirmatio quoq; ipſa eſt, ſolam nimirùm ob vocem, re autem ipſa; & veritate eſt perfecta negatio; hæ, inquam, propoſitiones fiunt illæ quidem contradictiones. Nàm ægrotare idem eſt prorſus, ac non benè valere, de quibus iàm receptum eſt dici ipſum ægrotare, ipſumq; bene valere. Negatio igitur in conceptu eſt ea, quæ perdictionem eſt affirmatio; ipſaq; contradictio ſtatim fit omnibus manifeſta.

Non igitur ad voces ſimpliciter, sed ad ipſarum vim potiùs reſpicere ſyllogizantem, seu ratiocinantem oportet. Etenim quo nàm modo & illud intellectu capiemus: Tenebræ ſunt non ens? Iàm non quidem tanquàm nullatenùs illæ ſint, vt neminem contradicere mihi perſuadeo.

Sic

Sic igitur & iuxta superiùs dicta, quod dicitur malum, atq; non ens quidem ipsum (quæ coniugationem appellauisti) expendere ad inuicem non oportet, nec alijs item opponere, atq; adeò nec bono etiam ipsi, aùt ipsi enti, eo modo scilicèt, quo suis oppositis opponuntur, quæ verè entia sunt, & opposita. Verùm si aliquando oppositione fuerit opus, id profectò vbi necesse sit præstare oportet, earumq; rerum vti materia, quæ propriè opponantur, non autem vndecunq; libuerit, & vtcunq; contigerit. Satis arbitror quæ dicta sunt ad pronunciatum doctum isthoc tuum euertendum, teq; interim philosophari docendum, præ eo, quod nullo prorsùs modo sit, malum esse eligibile magis, quippè quod ipsum suum proprium esse, ipsamq; non amiserit existentiam.

Cùm igitur ad philosophicam illam respicio assertionem Auditores, necessaria hæc mihi esse videntur, dominico semper dicto inconcussè se se habente. Si verò haud prorsùs suademini, sèd

aliquid

aliquid ad dictum illud pertinens (quod quidem omnino rectè pronunciatum est) superest adhùc, quod in dubium reuocetur; at nos eius solutionis modus interim latet.

EMMANVELIS II. PALÆOLOGI IMPERATORIS

Quædam veluti declaratio eorum, quæ ab vtroq; dicta sunt disputante, quidq; ea ipse de re sentiat. Adhibet verò etiam rationes, & argumenta, quibus breuiter suam rectam esse sententiam ostendat.

HÆC ferè sunt, (hìc quicunq; adestis) de quibus triduò antè quidam coràm nobis disseruerunt, cùm facta non nullorum, quæ à theologis dicta sunt, commemoratione; tùm ab vtroq; suis ipsorum dictis additis etiam syllogismis. At & Sanctorum

omnes vos dicta admirati fuistis, (quid nàm enim aliud, quàm diuinæ dicta sunt gratiæ?) & quæ à differentibus dicebantur, ad ipsam perquàm apposita philosophiam, eidemq; conuenientia censuistis. Nàm & ex se præclara illa quidem fuere, & ab vtroq; quo decebat ornatu dicta. Sèd cùm vos alterutri tamen parti non omnino fauere animaduertissem, sèd tanquàm aliquid expectare, quod vèl à nobis audiretis, faciendum putaui, vt hac vobis in re morem gererem. Per temporis autem angustias minimè concessa tùnc dicendi facultate, dicam iàm breuibus quid de ea mihi videatur sententia. Nequè verò putandum sententiæ nos opem ferre; nequè enim est opus; apagè. Adnitemur nihilominus diuino numine adiuuante, an aliquo pacto nostras cùm ipsa Veritate conciliare rationes valeamus. Nàm quòd vera sit illa sententia, id verò nequè quòd afferatur quidem opus habet. Qua nàm enim ratione probabile sit, diuina ali-

ter

ter eloquia se se habere? Sèd mens nostra ad vniuersa intelligenda, atq; ad perueniendum ad veritatis perfectam nôtionem, est ea quidèm, vt videtur, infirma. Ergo dicimus, immò præfari rectius est, quid Sanctis viris ea de re videatur.

Videtur autem hoc; quæ verba de Iuda protulit Saluator, ea non ideò protulisse, quasi non ens Ente melius esse ostendere voluisset, atq; illud sibi propositum fuisset, philosophorum assertioni se se opponere. Manifestum est autem hinc. Non enim, si non fuisset, dixit; sèd, si natus non fuisset. Non secùs, ac si dixisset; bonum quidem ei fuisset concipi, vt entis particeps esset; non autem in lucem edi, ac degere vitam, quandoquidem erat vèl ipsis peior dæmonibus euasurus. Sic igitur censeo, vèl hæc satis esse ad controuersum omne soluendum, nullumq; de illo dicto dubitationi relinqui locum oportere. Ens enim perfectè Iudas extitisset, vbi conceptus quidem fuisset, minimè verò natus, sèd ipso in vtero mortuus;

vt ſic illa philoſophica, non hac tandem Saluatoris deſtruatur ſententia.

Futurum fuiſſe autem exiſtimo, vt qui primus omnium; Ens melius eſſe non ente pronunciauit, vel ipſe, eiuſq; aſſeclæ (ſi Iudam, patrataq; ab ipſo facinora ad vnguem perſpexiſſent) definitè eam aſſertionem pronunciauiſſent, nec inter eas, quæ ſunt æternæ veritatis, vt ita dicam, collocauiſſent. Quamuis enim id, quod dixi, quoddam veluti paradoxum (quod minimè neſcio) quibuſdam videatur; verum tamen eſt, atq; ſic certè perpendemus. Nàm Iudas illud eſſe propriè, ſemel amiſit, ſi quis id non oſcitanter conſiderauerit. Iudas enim Ens erat, & quatenùs Ens, etiam bonum; nàm entia bona; ac proindè hic non obſcurè erat ipſo non ente melior. Qua quidem de re non eſt quòd contendat aliquis, vt paulò ante diximus. Hoc autem ex ipſo eſſe proueniens bonum, profectò cùm rationis, tùm ſenſus expertia omnia participant, vt Iudæ vel

inuito

inuito ipsi hoc bonum adhæreret. A Deo namq; tributa naturæ non amisit. At proditor factus, suapte sponte talis euasit. Cuius verò tandem proditor? Dei, amici, benefactoris, magistri. Ille, inquam, ipse, qui propter illum dæmonas eijciebat, & mirabilia patrabat. Non igitur illud tantummodò considerandum, Ens esse Iudam, atq; ob id aptum natura sua ad bonum participandum, quodq; natura comparatum est mutari non posse; verùm illud etiam simul vnà considerandum, ipsum à nemine coactum, factum esse perfectum omnium satanicorum operum receptaculum, legionesq; vniuersas, atq; ipsam adeò dæmonum multitudinem sibi quodammodo coaceruasse. Quamuis quid à nemine coactum ad malum fuisse aio? quando vel ad bonum semper à Saluatore, & à reliquis rebus compulsus omnibus, nihilominus peperit ille tandem aliquando, quod iam inde conceperat.

Quantum igitur in misera huius anima est

mali?

mali? Tantum equidem arbitror, ac tale, vt si quis secùm ipse altiùs reputauerit, amisisse Iudam etiam verum ipsum esse, absq; vlla hæsitatione poterit affirmare. Nàm omnia à forma potiùs, quàm à materia denominantur. Ac si priori formæ alia postea superuenerit, illa prior destruitur posterioris aduentu, præsertim si hanc fortiorem illa esse contigerit. Cùm Iudas igitur aliquando pietatem amplexus fuisset, in hanc ipsam, pietatis scilicet, immutatus est formam; hac verò ipso lubente, ac volente destructa, nec in ipso quidem esse (cætera, inquam, vt solent entia, quæ suam seruant formam) perdurauit. Hoc autem manifestum est. Filius enim erat Iudæorum, ipsa sub lege veteri, & adoptatus fuerat Deo tùm ob pietatem, tùm illustrationis doctrinæ, atq; ipsius sancti Spiritus gratiæ causa. Postea verò sponte factus est filius perditionis. Quapropter nemo ex Coapostolis, sèd ipse solus perijt, sacri testatur dictum eloquij. Meritò solus perijt,

quan-

quando solus etiam perditionis filius factus est.

Neminem igitur ex omnibus dubitare existimo, hunc non omnibus cùm omnium hominum, tùm ipsorum etiam dæmonum puniri supplicijs, immò & in omnem æternitatem, magno etiam illorum accedente cumulo, punitum iri. Ea propter vèl qui philosophiæ innutriti sunt, profectò non disceptaturi mihi videntur, sèd statim ad illorum se partem aggregaturi, qui Iudam non tàm beatum propter esse prædicant, quàm infælicem ob prauitatis excessum affirmant, quòdq; ad extremum ipsum malorum peruenerit. Illi namq; Ens, ac non ens simpliciter intuentes, rectè quidem illud huic prætulerunt; haùd verò ad Iudæ animam respicientes ita definierunt. Atq; ad hunc modum quod aio consideremus. Iudas nemini mortalium concessit, vt eius superare iniquitatem posset, aùt eam saltim adæquare. Vndè hoc colligis? inquies. Ex multis, & quidem validis argumentis. Ipse namq; omnis cacumen malitiæ,

atq; sibi associatæ iàm inde fastigium auaritiæ præoccupauerat, propter quam miser vèl Deum ipsum vendidit, nec mancipij quidem accepto prætio. Nemo igitur est vèl adeò probus, vt nulli prorsùs vitio sit obnoxius; vèl improbus adeò, vt nullius non sit particeps boni. Quare probus quisq; aùt secùs dicitur, ex bonorum nimirùm, aùt malorum exuberantia. Ad hunc ergo modum cunctos iudicabimus, Iudam autem secùs. Et quanàm id vèl specie iuris fieret, vt hic quoq; ex boni iudicaretur exuberantia? Cumq; bonum in Iuda modicum quidem, & inuoluntarium repertum sit, propter ipsum videlicèt esse duntaxàt, & rationalem, quam habebat item naturam, vt qui amittere eam non poterat; ipsa verò malorum copia & voluntaria, & tanta etiam fuerit, quantam quis nec cogitatione quidem comprehendere posset; vtrum hunc censeri, aùt appellari æquum est, bonúm ne ob ipsum esse, an malum ob id, quod lubens, ac volens euasit? Manifestum est, malum

appel-

appellandum ipſum, immò & malorum peſſimum, vt nec medij quidem menſura futura ſit vlla, ſi quis malum ac bonum, quod in ipſo eſt, æquiparare voluerit. Quod enim erat in hoc ipſo homine bonum, eſſe nimirùm, ob id ſolùm illud non fuiſſe corruptum videtur, vt apta ſupplicijs, ipſum excepturis eſſet materia, tanquàm ea ipſum effugere haùd æquum eſſet.

Quòd ſi optima ſæpe non acceptamus, cùm inde neceſſariò quædam incommoda conſequuntur, ne cùm illis deteriora, ſcilicèt, non nulla participemus; vtiq; & Iudæ, ſi optio data illi fuiſſet, nolle eſſe præſtitiſſet omnino, quàm ſupereſſe improbo exiſtenti, eaq; ſua improbitate longè poſt ſe cæteros mortales omnes relinquere, cruciatibuſq; tradi perpetuis, ac intolerabilibus. Quòd ſi in hanc potiorem ſententiam pedibus non iuiſſet, planè hoc etiam eius proprium ac peculiare, non cuiuſpiam autem alterius ex omnibus fuiſſet. Omiſſa namq; interminabilium cruciatuũ, quibus ille afficiendus erat,

multitudine, neminem ex omnibus prælecturum fuisse existimo esse potiùs, quàm non esse, ac circumobeuntem execrabilem, atq; omnium simùl videri mortalium pessimum, imprecationibus dirisq; impetitum, ac passim indignis alijs acceptum modis. Nàm & ab illis ijsdem ipsis etiam, quibus Saluatorem prodiderat, Iudas odio habebatur, atq; arguebatur. Vbi ergo ad superiùs dicta ipsi quoq; cruciatus accessissent, quo nàm pacto rationi magis consentaneum, et quidem magna cùm compendij etiam accessione non fuisset, nolle superesse, talis cùm esset? verùm ab improbitate, extremisquè illis supplicijs, atq; adeò vnà ab ipso etiam esse, abire quàm longissimè? Atqui vèl Iudas etiam ipse quibus perpetrauit, orationi adstipulatur huic meæ. Non dùm enim cruciatus ipsos, ipsamq; gehennam, non tenebras, ac vermem, cæteraq; expertus alia, quæ sunt cùm comminatione mortalium pessimis denunciata, pænitentia ductus (vt scriptum est) ipsum quidem esse contempsit ac respuit, non esse autem amplexus

est.

est. Nec non quantum in ipso erat, prorsùs nihil prætermisit eorum, quæ ad eam rem facerent, atq; perducerent. Id quod ea res apertè declarat, quòd cùm, peccaui, dixisset, ipse sui factus est accusator, cumq; accessisset, proiecit argentum; cuius gratia cùm mentis oculos excæcatos haberet, tùm piaculum illud ac scelus perpetrauit, tùm innocentem sanguinem, qui vitæ Mundi, nimirùm, sanguis erat, etiam tradidit.

Et quì fieri vnquàm potuit, vt qui est vsquequaq; bonus, auxiliarem manum ei, quem pænituerat, non porrexerit? dicet aliquis eorum fortassè, qui tanquàm delicijs istiusmodi percunctationibus plùs quàm par sit delectantur. Quia pænituit quidem illum; nequè enim eum quiescere, eius sinebat conscientia; sèd pænitentiæ leges transgressus, quòd facere minimè oportebat, perturbata mente desperauit. Vndè quod paulò antè dixi, fit manifestissimum, quòd si optio illa essendi, & è contra, in eius potestate fuisset, statim nihil po-

tiùs, quàm huius electionem posterioris habuisset, & , quod ad eum spectasset, ab ipsomet etiam esse abstinuisset. Qui enim ad probra, atq; conuicia, ad salsa ac mordacia cauilla, nec non ad ipsas, quas vtiq; daturas erat, ineuitabiles pœnas euitandas, violentas in se manus iniecerat, is quid tandem non acceptasset, vt cruciatus illos, illamq; vniuerso terrarum Orbi patefaciendam aliquandò ignominiæ notam euaderet?

Verùm, si quæ longiori oratione explicuimus animi nostri sensa colligere, ac ipsum rei propositæ finem attingere statim oportet, Iudas bonus quidem erat, vt Ens; propter morum autem prauitatem, omnem prætergressus est excessum malitiæ. Et, quod attinet ad primum, est quid omnino melius ipse, non nato, atquè non ente. Quod attinet verò ad secundum, melius ei vtiq; fuisset, si nec natus quidem ab initio fuisset. Ne igitur crebrò mihi dicas, ac philosophando identidem repetas, quod omnibus patet, ac manifestum est; sèd an & illud

sit melius, superesse nimirùm, quàm non esse, verùm Iudam simùl etiam factum esse, & in gehenna cruciari? Quòd si nemo hoc assereret, profectò nec ex eo, quòd Ens sit melius non ente, consentaneum rationi est asserere, esse melius, Iudam esse in rerum natura, & cruciatus patientem perdurare, quàm natum non fuisse, atq; non esse. Hæc igitur, de quibus à nobis philosophatur, Saluatorem quidem illa non præteribant; nihilominus tamen dixisset illud, quod si vèl tantùm audiat aliquis timorem incutiat: bonum esset ei, si natus non fuisset. Quod si quis secundùm Sanctorum virorum, vt iàm diximus, acceperit opinionem, rectè quidem ille faciet, radicitùs contentiones euellens, & omnem è medio tollens pertinaciùs obsistendi libidinem. Si verò illud; si [3] natus non fuisset; simpliciter pro, si non [4] fuisset, accipiat, benè ad eum quoq; modum intelligetur, si se habent, vt verè se habent, rectè quæ diximus.

[3] εἰ οὐκ ἐγεννήθη.

[4] εἰ οὐκ ἐγεννήθη, pro εἰ οὐκ ἐγένετο.

Deflet autem apertè Saluator vt miseram, non

quam

quam ipse creauit naturam, (quo nàm enim pacto æquum esset miserabile dici aliquid ab eo creatum?) sed in deteriora propensionem illius, propositumq́; consilium ad quodcunq;, quod pessimum esset, deuium; ac tantùm excursu suo ad peiora quæque progressum, quantùm bonum fuisset ei, si natus non fuisset; ne tale, videlicèt, ac tantum malum esse seipsum ostenderet, quantum oratione comprehendi non posset. Manifestant autem hoc ipsum, & tanquàm ob oculos ponunt ea ipsa dominica verba, si quis altiori contemplatione eis aduerterit animum. Illud enim; bonum esset ei; est velùt indicantis, esse hunc porrò hominum, quotquot vnquàm fuere infælicissimum. Ac proinde quamquàm nulli hoc alij expediebat creaturarum; tamen ei misero præstitisset, nec ipsam quidem ipsius esse portionem sortitum fuisse. Nàm pessimorum quidem reatuum densum illud velùt agmen ei superinfluxerat, quantò quis maiori affirmare vnquàm copia non posset. Tantumq́; quot quot vnquàm fuere

praui-

prauitate vitiorum insignes omnes simul anteiuit, quantum contraria incessit ipse via, accurritq; palàm ad ea, quæ essent pessima; dùm è contra, ad quod optimum esset eum tantùm res traherent vniuersæ, quantùm (vt iàm pluribus demonstratum est) aùt ratione probari, aùt ipsa concipi etiam mente non posset.

Hæc à nobis, vt per id temporis licuit, dicta sunt. Si qua verò ratio hac potior reliqua est, ea ab ijs, quibus per otium, ac diligentiorem contemplationem licuerit, inuenietur. Cùm noua autem erunt omnia, tùnc harum etiam rerum rationes recentiùs, ac puriùs nouerimus, quàm in præsentiarum intelligere valeamus. Sciendum autem illud etiam est, qui asserit Iudæ meliùs futurum fuisse, esse, quàm non esse, eum coactum iri ex eo, quod hinc necessariò fit, asserere, ipsis quoq; dæmonibus esse melius, sic existentibus esse, & cruciatus assiduè perferentibus conseruari, quàm multis illis cùm tenebris, igneq; illo perpetuo, ac iugi malitia, tan-

toq;

toq́; illo cùm dedecore, esse ipsum amittere. Hoc autem perinde est, ac apertis disertisq́; verbis asserere se malle qui ista dicunt & Iudas, & dæmonas esse, cruciatibusq́; vnà cùm illis in æternitates affici, quàm prorsùs esse illud amittere. Nàm Antichristum ipsum, & qui Saluatorem crucifixerunt, silentio lubens prætereo. Manifestum est enim, si prius illud amplexi fuerint, neque hoc posterius eos amolituros. Id quod equidem malum omnino esse existimo, vt nec ad impugnandum illud accingerer; neque enim vlla est opus, qua demonstretur, ratione.

FINIS.

FINE